



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt LXI. Suismet homines vitijs in quales bestias transmutentur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

multo post prefatus ille tyrannus musicam artem à quodam sibi præcantari fecit, à quo audiuit, quòd citò de suo regali transiturus imperio esset: omnesq; charissimi eius in hanc vocem proruperunt. Tunc ille, cum esset in medio foro illico *VVLPECVLÆ* miserabiliter arrepta *FORMA* profectus est in presentia suorum, quò eum impetus animi duxit: & ex illo die illaq; hora velut à diabolo raptus nusquam comparuit. Quidam morituri, in honorem S. Francisci, S. Dominici, S. Benedicti aut alterius sancti habitum induunt, vt in illo sepulti eorum Diuorum patrociniū consequantur, quorum habitum profiteri voluerunt: hic Britannicus rex vulpis pellem induit, vt constaret, qua mente, qua arte fuisset. Mente enim erat similis illi regi, de quo Christus dixit: *Ite, dicite vulpi illi: Ecce eicio demonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor: corpus illius in vulpem mutari videbatur, vt palam fieret, qua arte, quod præmium meruisset. Erat scilicet de numero illorum, de quibus dicitur: Introibunt in inferiora terra, hoc est in infernum, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt, seu Acheronticarum bestiarum, à quibus vulpinari didicerunt. Hoc autem exemplum etsi non profuit illi, qui passus est, prodesse tamen potest ijs, qui viderunt, vel audierunt. Itaque cum D. Augustino concludo: Qui hucusq; in istis diabolicis rebus captiuandum diabolo tradidit se, toto corde penitentiam agat, & illa sacrilegia supradicta cum omni horrore fugiat, & contemnat, vt illi Deus indulgentiam dignetur dare, & ad æternam beatitudinem ob gloriam nominis sui faciat peruenire.*

Luc. 13. 32.

Psal. 62. 11.

S. Augustin. serm. 247.

CAPVT LXI.

Suismet homines vitiis in quales bestias transmutentur?

Vi mores hominum ingeniaque vult inspicere, neque naturam, neque naturæ Authorem, immò neque admodum Dei hominumque calumniatorem, tanquam monstrorum causam, sed se ipsum potiùs intelligit, aut eos, qui monstrositate aliqua afficiuntur, trutina dignos esse. Siquidem illi sunt potissimum monstrorum causa, in quorum

I.

T t t t

ca

ea pœnam vel Deus, vel natura à Deo gubernata, vel hostis humanæ gentis mittit, aut efficit. Quanquam ea indole sunt homines deprauati; vt non expectent manum de cælo punientem; præueniunt enim iram diuinam, & antè ex seipsis monstra efficiunt, quàm alijs monstris puniantur. Non enim solis veneficijs, sed omnibus quoque ceteris vitijs homines in bestias transformantur. Quod non eo intellectu capiendum est, quo Isidorus Basilidis filius, apud Clementem Alexandrinum, physicam quandam & portentosam hominis, pro vicij qualitate, in varia ferarum ac etiam plantarum genera transformationem inuexit. Verba Clementis sunt: *Basilidis sectatores vicia & animi perturbationes consueuerunt vocare $\pi\epsilon\sigma\sigma\alpha\sigma\tau\eta\mu\alpha$, id est, appendices; & ea esse quosdam in essentia spiritus appensos anima ratione prædita, per quandam conturbationem & confusionem principalem: & alias rursus spirituum adulterinas, & diuersigenris naturas ijs adnasci, utpote lupi, simia, leonis, ursi, quorum proprietates, qua visione in anima apprehenduntur, anima cupiditate animantibus dicunt assimilare. Quarum enim ferunt proprietates, earum opera factaq; imitantur. Et non solum cum rationis experitium animantium appetitionibus, & visionibus coniunctionem inueniunt & familiaritatem, sed etiam plantarum emulantur motu & pulchritudines, propterea quòd plantarum quoq; adiunctus habeant proprietates: habere autem etiam habitus proprietates, utpote ad vitium adamantis. Hæc Basilidis sectatores docuerunt. Erroris est; & quia pertinacia accedit, hæresis, & stulta impietas, quam, præter dictum Clementem, omnia refellunt, quæ à recentioribus hæreticorum confutatoribus scripta sunt, in non dissimile sententiæ monstrum à Matthia Flaccio Illyrico fatuè excogitatum. Itaque quæ nos allaturi sumus, non de physica, sed morali & metaphorica transmutatione sunt accipienda, quæ non in natura, sed in similitudine morum consistit. Quo pacto & Prophetæ loquuntur, vt ille cum ait: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Non dixit, Nolite fieri equus & mulus, sed sicut equus & mulus. Sat ignominia est homini, satisque monstruosum, si comparetur iumentis insipientibus, & similis fiat illis. Si enim insipiens est, maximo hominis ornamentu**

Isidor. Basil.
lib. de anima
Clementis. Alex-
andr. lib. 4.
Strom. c. 9.

112. 11. 11. 11.

11. 11. 11. 11.

11. 11. 11. 11.

Psal. 31. 9.

Psal. 48. 13.

mento caret, quod est, sapere. Neque contumeliosius potest quisquam ab altero appellari, quam si pecus, si bestia, si canis, si asinus, si porcus, aut bellua appelletur.

Atqui omnino, quisquis peccat, vel in magnam, vel in parvam bestiam abit, pro peccati vel magnitudine, vel parvitate. *Quid est homo?* ait Epictetus, *Animal ratione praditum, ac mortale* (quod addit, quia & ipse cum Porphyrio, & antiquis Philosophis putavit, Angelos esse animalia quaedam, sed immortalia) *Cum dicimus ipsum compotem rationis, à quibus eum separamus rebus? A feris bestiis, scilicet. Num ab alijs quibusdam? Ab omnibus quoque & similibus. Vide ergo, ne quid tanquam bestia feceris. Quod si facias, hominem perdidisti; non prestans id, quod prestandum tibi erat. Quin etiam vide, ne quid feceris tanquam ovis: si non caueris, hac quoque ratione hominem perdidideris. Qua sunt igitur illa, qua facimus tanquam oves? Quando nimirum ventris gratia, aut penis, aut alijs temerè quid agimus, quando fordidè, quando oscitanter. Quo degeneravimus? In naturam ovium. Quid amisimus? rationis usum. Quando crudeliter, perniciose, incitatè, vehementer; quam in naturam desivimus? Ferarum. De cetero itaq; nonnulli ex nobis magna sunt bestia, quidam verò sumus parva bestiola, & malefica, quas abominando & detestando dicere solemus, Deuoret me potius leo. His omnibus naturis id, quod de se promittit homo, aboletur. Quàm multùm autem aboleatur vnà ex Seneca discere: *Omnia suo bono constant, ait, Vitem fertilitas commendat, sapor vinum, velocitas seruum. Quare fortia dorso iumenta sint, quaris? quia eorum hic vnus est vsus, sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si inuestigare debet feras; cursus, si consequi; audacia, si mordere & inuadere. Id in vno quoq; optimum est, cui nascitur, quo censetur. In homine optimum quid est. Ratio: hanc antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta proprium homini bonum est: cetera illi cum animalibus satisq; communia sunt. Valet? & leones. formosus est? & pavonos. Velox est? & equi. Non dico, in his omnibus vincitur. Non quero, quid in se maximum habeat, sed quid suum. Corpus habet? & arbores. Habet impetum & motum voluntarium? & bestia & vermes. Habet vocem? sed quanto clariorem canes, acutiorem aquila, grauiorem tauri,**

II:

Epictetus
apud Arrian;
lib. 2. c. 9.

Sehec, ep. 76,

Titt 2

tauri,

tauri, dulciorem mobilioremq, luscinia? Quid in homine proprium? Ratio. Hæc recta & consummata felicitatem hominis implevit. Ergo si omnis res cum bonum suum perfecit, laudabilis est, & ad finem naturæ suæ peruenit, homini autem suum bonum Ratio est, si hanc perfecit, laudabilis est, & finem naturæ attigit. Hæc ratio perfecta, virtus vocatur, eademq, honestum est. Id itaq, unum bonum est in homine, quod unum hominis est. Nunc enim non quarimus, quid sit bonum, sed quod sit hominis bonum? si nullum aliud est homini, quam ratio: Hæc erit unum eius bonum, sed pensandum cum omnibus. Si sit aliquis malus, puto improbabitur: si bonus, puto probabitur: Non dubitas, an hoc sit bonum: dubitas, an solum bonum sit. Si quis omnia alia habeat, valetudinem, divitias, imagines multas, frequens atrium, sed malus ex confesso sit: improbabis illum. Item, si quis nihil quidem illorum, qua retuli, habeat, deficiatur pecunia, clientum turba, nobilitate, & aurorum proavorumq, serie, sed ex confesso bonus sit: probabis illum. Ergo est unum bonum hominis: quod qui habet, etiamsi alijs destituitur, laudandus est: qui non habet, in omnium aliorum copia damnatur ac rejicitur. Quò usque rejicitur? usque ad gradum bestiarum juxta illud: Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Non est magnus gradus ab equo ad asinum; vterque enim ratione caret. Magnus gradus est ab homine ad pecus. Cùm ergo contra rationem agat, quisquis peccat; quantò magis quis peccat, tantò magis etiam à ratione recedens ad bestiarum indolem accedit. Sic incorruptibilis anima corrumpitur,

Psal. 48, 13.

Lucret. lib. 3.
111,Arrian. lib. 1.
cap. 3.

Et contracta suis è partibus obbrutescit. Quas verò in bestias mutantur homines, eversa peccatum rationali natura, indicavit haud obscure idem Epictetus, apud Arrianum his verbis. *Melius quiddam habes carne. Quare, missò illo & neglecto, carni dundaxat es deditus? Ob huius societatem declinantes à meliore, natura quidem lupis similes effici-mur, dum sumus perfidi & insidiosi, & ad nocendum parati: leonibus, quia feri, & immanes ac truculentis: maxima verò pars vulpene sumus, aut si quid aliud in animalibus pro monstruoso habetur. Etiamné aliud quiddam est maledicus, aut malevolus homo, quam vulpes, aut si quid ea est vel ignobilis vel contemptius?* Circumspice

eite itaq; & curate, ne quando huiusmodi calamitatibus obnoxios fieri vos accidat. Et alio libro. *Quid verò est, quod illum hominem esse dixisti? Quæq; enim res ex figura simplice non est indicanda; alioqui cereum quog, malum pro malo habeas; ipsumq; & odorem & saporem mali habere contendas. Figura externa circumscriptio satis non facit, ut rem esse aliquam pronunciemus. Quamobrè ut homo dicatur quispiam, satis non est, nasum & oculos habere: sed tum hominem esse censeo, si ita ut hominem decet, senserit. Aliquis est, qui rationem non percipiat, nec castigatus obtemperat: Talis nimirum pro asino est habendus, pudorisq; sensum deposuit omnem, inutilis est, & quidvis potius quàm homo. Is nimirum quarit aliquem, quem calcibus, aut dentibus impetat. Quocirca nec asinus est, nec ovis, sed fera quadam, & immanis bestia.*

Ne autem Epictetus hæc ex schola Stoicorum, censurâ quadam Stoicâ, hausisse videatur, etiam alios in hanc sententiam iuisse monstradimus. Philo doctissimus Iudæus, Chaldaei, inquit hominem Enos vocant, ac si solus verè homo sit, qui res bonas expectat, & bona spe se sustinet. Vnde manifestum est, quòd spe carentem non hominem existimant, sed bestiam humana forma præditam, cui desit spes proprium ornamentum humana anima. Immo vsque adeò talis est bestia humana forma prædita, ut D. Gregorius Nyssenus in illud: *Et præsit bestiis ita scribat: Impera bestiis omnibus, quæ sunt in te. Quid? inquires, egone in me ipso bestias habeo? Tu verò bestias habes, & eas quidem innumerabiles, plurima in te est bestiarum multitudo. Ac ne me contumeliosum existimes, dic, amabo, parvanè est bestia iracundia, quando latrat in corde tuo? nonne ea est quovis cane crudelior? Quid? in callido animo tuo dolus latitans, nonne quovis vrsò fraudulento sanior est? Quid? nonne fera est hypocrisis, vel immanissima? Qui autem impetu rapitur ad contumeliã nonne scorpium est? Qui præcep ad vindictam ultionemq; fertur, nonne est vipera gravissima? Quid auarus ipse? nonne lupus est rapacissimus? Nulla in nobis fera non inuenitur. Qui feminarum amoribus insanunt, nonne furiosi sunt equi? Equi amatores, inquit, & emissarij facti sunt, unusquisq; ad uxorem proximi sui hinniebat. Sic in alicuius fera naturam quisq; conuertitur, ut aliquo animi vitio, perturbationeq; vincitur. Ex quo fit, ut*

Tttt 3 *innume-*

Idem lib. 4. cap. 5.

IV.

Philo in lib. de Abraham. circa initium.

S. Gregor. Nyssen. orat. 1. de hominibus procreat.

innumerabiles in nobis sint fera. Credis igitur te ferarum esse dominum, ac principem, si illis, quae foris sunt, imperes, eas autem quae intus versantur non domes, ac regas? Quorsum tibi ratio, qua leones vincis, eorumque fremitum non reformidas, cum ipse dentibus frendas, ut Leo, & praeracundia vocem confusam, & perturbatum clamorem emittas? Quid enim grauius aut acerbius est, quam cum iracundia furor totus erumpere nititur, nec intus villo modo contineri potest? cum ab aliqua perturbatione victus est homo, non iam ipse imperat, sed in eius animo perturbatione dominatur. Quamobrem cum ita creatus sis, ut bestiis imperes, & serpentibus, & volatilibus, perturbationibus impera. Ne permittas cogitationem tuam sublimem vagari. Ne finas animum tuum leuitate instabilem ferri. Datum est tibi ut auibus praes: absurdum erit si visco volantes illas ita capias, ut ipse leuis sis, efferarisque superbia. Ne sublimes spiritus tollas, ne intumescas, ne tibi nimum placeas, aut plus de te sentias, quam patiatur humana conditio. Ne laudibus inflatus extollaris, ne te ipse iactites, aut magnum aliquid esse putes. Alioquin eris volucrum similis, qua natura leues & instabiles huc illuc feruntur, & volitant. Tuum igitur animum moderare, ei que impera, si vis rebus omnibus imperare. Hac ratione nobis in animantia attributum imperium nos monet ac disponit, ut ipsi nobis imperemus.

v.
S. Chrysostr.
hom. 4. in
Math.

Consonat D. Nysseno D. Chrysostr. his verbis, dum fidelem non ex fidei legibus viuentem ita castigat: Quid verò fidelem dico? Nec enim es homo, si manifestè possum videre. Cum namque tanquam asinus recalcitres; lasciuas autem ut taurus; tanquam equus verò post mulieres hinnias; ventri tanquam vrsu indulgeas; & ut mulus carnem impingues; & malum memoria teneas, velut camelus; porro rapias quidem ut lupus; ac ut serpens irascaris; ferias ut scorpius; sis subdolanus ut vulpes; nequitia verò tanquam aspis & vipera venenum serues; ac sicut ille malignus demon fratres impugnes: quomodo te cum hominibus connumerare valeam,

Idem hom. 1.
in Ioan.

talis in te natura signa cum non intuear? Hæc ille, qui alibi addit, brutum quodlibet vnicam bestiam esse; qui verò à virtute deflectit, in tot bestias, quot peccata admittit, transformari.

Isidor. Pelu.
not. lib. 2.
ep. 135.

Imitatur idem magnus Chrysostr. æmulator, ac aliquando auditor, Isidorus Pelusiota his verbis: Si rem accurate atque exacte

exactly perpendere velimus, non iumentis duntaxat: sed etiam truculentis feris comparari posse videtur, immo etiam eas superat, qui turpium affectionum ac libidinum amator est. Quodq; mirum, atque ab hominum opinione alienum est, quodq; fera uni tantum vitio seruit: at qui hominis speciem habet, omnibus vitijs in unum congestis & cumulatis, ultra eorum temeritatem & amentiam progreditur. Ac ne me hyperbolice loqui putes, res ipsa incorrupta mente perpendamus. Cum enim quissiam ut taurus subsultat; ut asinus calcitrat; ut salacissimus equus in feminas hinnit; ut ursus voracitati studet; ut mulus corpus saginat, ut camelus iniuriarum memoriam retinet; ut leo irascitur; ut lupus rapit; ut scorpium ferit; ut serpens subdolanus est; improbitatis venenum ut vipera conseruat; opes denique, vel, ut rectus loquar, peccata cumulat, ut scarabeus scarabeas, quoniam pacto quissiam hunc belluino animo preditum inter homines recensere poterit, cum mitis ac placida nature lineamenta in eo minime perspiciat, verum Scylla cuiusdam, & Chimera atque Hydra (iuxta externas fabulas) foetorem cernat.

Affonat & Clemens Alexandrinus his verbis. *Quin etiam, quod supremum est omnium, ipsam Philosophiam definiunt, studium recta rationis, adeo ut sit necessario delictum, quidquid sit propter errorem rationis, & merito Græce vocetur ἀναστροφή, hoc est, erratum, quod etiam peccatum significat. Iam enim, quando primus homo peccauit, & Deo non obedyt: Et iumentis, inquit, assimilatus est homo, qui præter rationem aberrasset, merito rationis expertus existimatus comparatur iumentis. Hinc etiam dicit Sapia: Equus ad coitum, libidinosus, & adulter irrationali iumento assimilatus. Et ideo subiungit: Quocumq; super eo sedente hinnit. Non amplius, inquit, homo loquitur. Non est enim amplius particeps rationis, qui peccat præter rationem: est autem expertus rationis bellua, dedita cupiditatibus, cui omnes voluptates insident. Ita ex hominibus equos facit luxuria; quos, eodẽ teste Alexandrino Clemente, & luxus in bestias mutat, luxus, inquam, ille, qui in escis & esculentis quæritur. Ita enim disputat. Victus, qui sufficientiam excedit ac obruit, homini multum officit; animam cerse segnem & inertem reddit, corpus vero valetudinariũ, & quod*

VI,
Clem. Alex.
lib. 1. Pæda-
gogi, c. 13.

Idem Alex.
Clemens. l. 2.
Pædogogi.
cap. 1.

Et quod in morbos facile prolabitur efficiens. Quin etiam voluptates qua in diiudicandis condimentis anxie sunt & difficiles, probra & maledicta inurunt: ut pore liquoritionem, ingluviem, edacitatem, voracitatem, insatiabilitatem, & huiusmodi alia. Musca quoque aptissime vocantur, & adultores, & gladiatores, & immane genus parasitorum: ventris voluptate hi quidem rationem, illi vero amicitiam, alij autem vitam ipsam vendentes, super ventrem serpentes, belluae hominibus similes, ad imaginem patris sui, edacis voracisq; bellua. Has ciborum vinorumque Charybdes etiam Seneca in animalium ratione carentium classem reponens ait:

Senec. ep. 60. Taurus paucissimorum ingerum pascuis impletur: una silva elephantis pluribus sufficit: homo & terra pascitur, & mari. Quid ergo? tam insatiabilem nobis natura alium dedit, cum tam modica corpora dedisset, ut vastissimorum edacissimorumq; animalium aviditatem vinceremus? minimè. Quantulum est enim, quod natura datur? paruo illa dimittitur. Non fames nobis ventris nostri magno constat, sed ambitio. Hoc itaq; (ut ait Sallustius) ventri obedientem animalium loco numeremus, non hominum; quosdam vero ne animalium quidem, sed mortuorum.

VII. Verùm ad Clementem reuertamur, qui Sophistas cicadarum & vulpium nomine condecoratos nihil mentis, multum vocis, aut strepitus potius habere asserit. Ob hanc artem, inquit, se efferentes Sophista infelices, canoris quibusdam suis nugis garrientes, cum in nominum delectu & certa dictionum compositione & connexione, tota vita laborant, cicadis apparent loquaciores, eos quibus pruriant aures non satis, ut mihi videtur, viriliter demulcentes, & tiuillantes.

Verborum non stilla cadens, sed flumen iners.
Et certè quemadmodum veteribus in calceis, imbecilla ipsi sunt alia & diffluent, sola autem eis restat lingua. Pulchrè ergo eos insectans scribit Solon Atheniensis:

Ad linguam aspicitis, & dulcia verba loquentes,

At quod fit, nemo spectat, agentis opus.

Ac quiuis vestrum vulpis vestigia figit,

Et mentem vacuam putidulamq; gerit.

Matth. 9.
Luc. 9.

Hoc utique significat vox illa salutaris: Vulpes foveas habent, filii autem

autem hominis non habet, ubi caput reclinet. Super enim solo eo, ut arbitror, qui credit perfectè separato ab ijs bestijs, que dicta sunt à scriptura, rerum omnium caput conquisit ac princeps, nempe benignum & mansuetum verbum, qui comprehendit sapientes in astutia ipsorum: Dominus enim solus cognoscit disceptationes sapientum, quod vana sunt. Sapientes utique Scriptura vocante Sophistas, qui in dictionibus versantur & artibus superfluis. Vtique adèò vulgare est, à bestijs mores hominum appellare, ut nihil ferè sit apud plebem communius. *Lysandrum Lacedæmonium* aiunt, cum ageret in Ionia, *Lycurgi* molestas laboriosasq; leges reiecisse, & vitam dissolutè luxurioseq; habuisse. *Lamia* igitur scortum *Atticum* dixit, *Leones Graci*, *Ephesi* redduntur vulpes. Quibus etiam feminarum se superbia assimilât, *Syrmata* longa post se trahentium, more vulpis vestigia sua verrentis. Diximus supra, fuisse inter monstra, qui equorum instar dependulam retro haberent appendicem. Qualem etiam scribit *Marcus Polus* esse ijs, qui iuxta *Lauam* in prouincia *Lambri* degunt, absque villis quidem, sed in vlnæ mensuram excurrentem: aut de quibus *Plinius* memorat miræ pernicitatis hominibus: vel quos tradit *Pausanias*, in insulis *Satyridis*, equis ea parte pares esse. Quod in his monstruosum, in feminis scilicet erit formosum? Enimverò hoc est, quod eas serpentibus aut etiam draconibus similes facit: nam & hi vermes, & stelliones, & basilisci eiusmodi post se *Syrma* trahunt.

Quid si in medium adducam vitium, quod ex hominibus camelos, immo elephantos, immo plus quàm insulares balænas facit? Nihil fingam, vera dicam, & nemo credet, nisi digitis monstrata. Sunt in quodam loco fæminæ tam magnæ, ut ijs vestiendis non vnus, non duo, non centum sartores sufficiant; sed ut tegantur, totæ debent nationes laborare. Sunt tam robustæ, ut totos agros & fundos possint manibus & digitis portare. Sunt tam validæ, ut capiti domos, & arces, & tures imponant. Sunt tam formosæ, ut velut cælum stellatû luceant. Sunt tam artificiosæ, ut, qualemcunq; vel capillû, vel vultum optant, hominibus ostendant. Quis hæc omnia non putet iudicetue esse plusquàm monstrosa? Super quæ

V u u u u

acce-

Ælian. lib. 13.
Var. c. 8. & 9.

Marc. Polus
lib. 5. cap. 15.

Plin. l. 7. c. 2.

VIII.

accedit, quòd sexum mutant, quoties volunt; ut in equis & fenestris viros existimes te videre, quas paulò priùs audisti puellas nominari. Nec sanè paucæ sunt tales: crebrò occurrunt, immò in oculos nostros incurrunt. Non est hæc mea fictio. Dudum hæc omnia, & plura scripsit Tertullianus. Scripserunt & alij Patres. Quin Ethnici quoque ipsi scripserunt, quando intolerabilem mulierum superbiam atque luxum exaggerarunt. Iunones nostræ, Nymphæ Palatinæ, mulieres extra aulam aulicæ, sunt tales. An non pro vnica tegenda & vestienda totæ laborant nationes? an non necesse fuit, ut pro vna Cleopatra, aut Messalina Milesij oues tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrii tinguerent, & Phryges insuerent, & Babylonij intexerent, & margarita candarent, & Ceraunia cornificarent? In sandalia vnus reginæ quot vrbes sumtum conferunt? Antiqua res est superba prodigalitas. Nam & Pindarus *Agri-gentum sacrum* idcirco appellat, quòd olim Proserpinæ à Ioue assignatū fuisset in *ἀνακαλυπτήσια*, id est, cùm primùm se visendam sponsa præberet. Plutarchus, ob eandem causam, totam scribit *Siciliam sacram*. Athenæus memorat, subacta à Persis Ægypto, Anthyllam urbem dari solitam regis vxori in *calceamenta*. Herodotus tradit, plurimos pagos, in quibus fixerat tabernacula, Parysatidi reginæ datos in *cingulum*, ut Muretus legendum putat, qui etiam testatur, Lutetiæ Parisiorum, veçtigal quoddam ex vino, appellari vulgò *cingulum regina*. Quam tamen summam multæ Deum amantes matronæ, etsi in superbiam ab alijs destinatam & consumptam, ipsæ potiùs in cultum & honores diuinos, animarumq; salutem conuerterunt. Quod narrat factum Horatius Turfelinus, cùm scribit, pensionem quandam aureorum quadringentorum in Canacapolas Christianorum in India, à Lusitanix rege reginæ vxoris, crepidarum & soccorum nomine, jam olim S. Francisci Xauerij rogatu attributam, pensitari. Ex his censibus perspicitur, quam verè dixerit Tertullianus: *Breuisimis loculis patrimonium grande profertur. Uno lino decies sestertium inseritur. Saltus & insulas tenera cernix fert. Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Ha sunt vires ambitio-*

Tertullian.
lib. de habi-
tu mulierum
cap. 1.

Plutarch. in
Timoleonte
Athen. lib. 1.
cap. 30.

Herodot. l. 2.

Horat. Tur.
sell. lib. 2. de
vita S. Fran-
cisci Xauerij
cap. 2.

Tertullian.
loc. cit.

ambitionis, tantarum usurarum substantiam uno & muliebri corpore baulare. Vides robustas feminas? quibus in capite lu-
cet gemma tribus arcibus emta, & de turrita capillorum
structura pretia domorum exsplendescunt. Quot talenta in
Cleopatrae auribus pependerit? Duo fuerunt maximi uniones
per omne aenum. Virumq; possedit Cleopatra Egypti reginarum
nouissima, per manus Orientis Regum sibi traditos. Hac cum ex-
quisitis quotidie Antonius saginaretur epulis, superbo simul ac pro-
caci fastu, ut regina meretrix lautitiam eius omnem apparatusq; ob-
treclans, querente eo, quid astrui magnificentia posset, respondit
vna se caena centies H. S. absumpturam. Cupiebat discere Anto-
nius, sed fieri posse non arbitrabatur. Ergo sponsonibus factis, po-
stero die, quo iudicium agebatur, magnificam alias caenam, ne dies
periret, sed quotidianam Antonio instituit, irridenti, computationem-
que expostulanti. At illa corollarium id esse, consumpturamq; se in
ea caena taxationem confirmans, solamq; sexcenties H. S. caenatu-
ram, inferri mensam secundam insit. Ex precepto ministri unum
tantum vas ante eam posuere aceti, cuius asperitas vicq; in tabem
margaritas resoluit. Gerebatq; auribus tum maxime singulare illud,
& vere unicum natura opus. Itaque, expectante Antonio, quidnam
esset actura, detractum alterum merfit, ac liquefactum absorbit.
Iniecit alteri manum L. Plancus index sponsonis eius, cum quoq; pa-
ranti simili modo absumere, victumq; Antonium pronunciauit, irato
homine. Comitetur fama unionis eius parē, capta illa tanta questio-
nis victrice regina dissectū, ut esset in utrisq; veneris auribus Roma
in Pantheo dimidia eorum caena. Nimirum, ut Satyricus dixit:

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extensis magnos committit elenchos.

Si formam stellati in hoc sexu caeli, si artem vultus & ca-
pillorum colorem mutandi dici tibi cupis, *Habitus famina*, ait
Tertullianus, duplicem speciem circumfert, *cultum & ornatum*.
Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: *ornatum*,
quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro, & argen-
ro, & gemmis, & vestibus deputatur: iste in cura capilli, & cutis,
& earum partium corporis, qua oculos trahunt. Alteri ambitionis

V u u u u z crimem

Plin. lib. 9.
c. 35. nat. hist.

Iuuenal.
sat. 6.

IX.
Tertull. lib.
de habitu
mulierum
cap. 4.

Vide historiã
Antipodum
Ioan. Gotte-
fridi, pag. 120.
& pag. 145.

Tertullian.
lib. de cultu
feminar. c. 5.

Propert. l. 2.
el. 18.

Francisc. Pa-
tricius de in-
stitut. Reip.
lib. 4. c. 5.

Quid, lib. 1.
de Remed.

crimen intendimus, alteri prostitutionis. Ridemus Indos, qui cutim floribus pingunt, aut gemmatis vultibus incedunt, & lapillos carni viuae inferunt, frontisque atrum lurorem carbunculis & smaragdis distinguunt, prodeuntq; discolors, more psittacorum: sed maximè sic ornant perituros; vt splendide pereant. Equè ridendæ sunt istæ grandes matronæ, ac nymphæ Palatinæ, quæ faciem fictam gestant, & effigiem mentiuntur, fucoq; decipiunt amatores. In Dominum enim delinquunt, qua cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt. Displicet illis nimium plastica Dei: in ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cùm emendant, cùm adyiciunt, vtique ab aduersario artifice sumentis additamenta ista, id est, diabolo. Nam quis corpus monstraret mutare, nisi qui & hominis spiritum malitia transfigurauit? ille indubitatè huiusmodi ingenia concinnauit, vt in nobis quodammodo manus Deo inferret. Quod nascitur, opus Dei est. Ergo quod fingitur, diaboli negotium est. Diuino operi, satanae ingenia superducere, quàm sceleratum est? Hæc Tertullianus de feminis, & longè plura in duobus diuersis libris. Propertij sunt ista

Vt natura dedit, sic omnis recta figura:

Turpis Romano Belgicus ore color.

Quidem est aliud, ait Franciscus Patricius, pœnitere sui ipsius, & seipsam odio habere, quàm aliam faciem inducere? & visco, cerussa, fuco, alijsq; pigmentis naturam violare? Qui quòd paulo post, ablutis adulterinis coloribus, ad formam pristinam redit, non sine irrisione omnium familiarium, & cum damno etiam natiua venustatis? Ex illis namq; venenis ruga ante tempus faciem arant, oculi caligant, dentes obscuriores fiunt: animaq; uxoris pessimè olet. His commentitijs coloribus fœditatem aspectus, & contemptum sibi comparant, odiumq; viri. Et præsertim,

Cùm miseri viscantur labra mariti.

Quare inter amoris remedia præscribitur respicere cupienti, vt improuisus adsit, & Sirenulæ suæ vitia deprehendat,

Tu quoq; compositis sua cùm linit ora venenis,

Ad domina vultus, nec pudor obstat, eas.

Pyxidas inuenies, & rerum mille colores;

Et

Et fluere in tepidos oesypa lapsa sinus.

Illas tuas redolent, Phinen, medicamina mensas:

Non semel hinc stomacho nausea facta meo.

Longè maior nausea creatur ijs, qui deprehendunt suas, gale-
riculum gestare, atque ascititijs pilis, à meretrice, aut vespil-
lone emtis, vel caluitiem, vel canitiem dissimulare, & crispare
comas alienas, quibus, tanquam cornicula, alienis plumis su-
perbiunt & triumphant. Multoquè maior nausea mouetur,
ijs, qui ex vetularum vultibus conijcere volunt, quid de vultu-
bus futurum sit iuencularum. Quàm multæ enim scitissimæ
pulchritudinis puellæ in quantas, quamquè cadauerosas, senio
formam deuastante, laruas degenerant? Ipsâ enim naturæ le-
ge illud capillorum quondam succinum auro & gemmis distin-
ctum, in luridam canitiem, & ingratas capitis niues, tandem-
què etiam, velut in Medusæos angues vertitur. Oculi stellis
æmuli, in stillantes & sanguineas lacunas mutantur, vt sine
contagio, aut fascino aspici non possint. Candidum genarum
æquor purpurâ velut corallio relucens, in squallidum aruum
rugis aratum, & verrucis, velut collibus ebulliens, buxantem-
què lurorem abit, similem folijs autumnalibus, de arbore la-
psis, quæ virorem amiserunt. Itaque non jam in labris rosæ,
non serenitas in fronte, sed tristis nubes sedet, quæ terret in-
tuentes. In ore nullum ebur dentium, sed quoddam barathrû
Auernale. E naso stiria, ex ore mucus, è mento saliuâ pendet.
Hoc nunc stibium est tam bellæ olim puellæ. Ita Tisiphone
facta est, quæ olim erat Calliope; neque iam in censu habetur
Gratiarum, sed occurrentibus putatur esse quarta Furiarum.
Quis non pro monstro habeat talem metamorphosin, quæ de
virginæ facie in tam fœdam transit Harpyiam? quæ longè,
postea in sepulchro tabe & vermibus cooperta, fœdius erit
testimonium humanæ vanitatis. Vult hoc ita per naturam fie-
ri Author naturæ, vt sciant, quid ornent puellæ, quæ se adeo
comunt & cornant, vt prodigia videantur; quin vt iuuenes quo-
que nôrint, quid ament. Dicturi enim sunt aliquando cum
Francisco Borgia: *Hæcine illa sunt lumina, quæ omnium in se ocu-
los conuertant? hæc venustas illa, quæ aliarum formas extinxerat?*

Vuuu 3

Tunc

Andrea
Schottus in
vit. Francise.

Borgia lib. 1.
cap. 7.

Tunc Isabella? Tunc Augusta? Fallunt oculi? aberrat mens? Sed non fallunt: Nimirum humanarum hæc rerum vicissitudo est. I nunc, fragile illud forma bonum admirare. I, lutum hoc auro orna; i, pinge cutem; crispa capillos; stringe cincinnos, puella. Quæ etiam in viris sunt longè deformiora. Quamquam ita, tonsæ sunt nunc & pileatæ, ita viriliter thoracatæ, seu nuptæ, seu nubiles fæminæ; ac vicissim ita comtuli & cincinnatuli iuvenes, vt, si eos videas per fenestram prospicere, faciliè in viris fæminas, & in fæminis viros autumes te intueri. Aded monstra sunt & puellæ vt iuvenes tonsæ, & iuvenes vt fæmina compti, propriasq; præstigias forma & hic sexus sibi agnoscit, barbaram acrius cedere, interuellere, circumdare capillum, disponere, etiam colorare canitiem, primam quamque subducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri distinguere cetera pulueris cuiusdam asperitudine leuigare, tum speculum omni occasione consulere, anxie inspicere, cum tamen cognito Deo adempta placendi voluntate, per luxuriam vacationem, omnia illa, vt ociosa, vt hostilia pudicitia recusantur. Sed de his iuuenum monstris satis superque egi in secundo libro de Labyrintho, vbi eos monstro camelopardali comparauit.

Tertullian.
lib. cit. c. 8.Lib. 2. de La-
byrinthi
fraudib. c. 3.

X.

Boët. lib. 4.
de consolat.
Phil. prof. 3.

In longam Iliadem opus excurret, si omnes hic voluero enumerare similitudines, & nomenclaturas, quibus scriptores tam sacri, quàm profani, & populi vulgus singula mortalium vitia soleat exprimere. Quoddam velut compendium accipe à Boëtio, & quod non vis dici, noli esse. *Vide, inquit, ex aduersa parte hominum, qua improbos poena comitetur, &c. Quidquid à bono deficit, esse desistit. Quo sit, vt mali desinant esse, quod fuerant. Sed fuisse homines, adhuc humani corporis species ostendat. Quare versimilitiam, humanam quoque amisere naturam. Sed cum ultra homines promouere sola probitas possit, necesse est, vt quos ab humana conditione deiecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Euenit igitur, vt quem transformatum vitijs videas, hominem existimare non possis. Auaritia seruit alienarum opum violentus ereptor? Similem lupo dixeris. Ferox atq; inquietus linguam litigij exercet? Cani comparabis. Insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet? Vulpeculis exæquetur. Ira in-*
temperans

temperans fremit? Leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? Cervus similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? Asinum vivit. Levis ac inconstans studia permutat? Nihil ab anibus differt. Fœdis immundisq; libidinibus immergitur? Sordida suis voluptate detinetur. Ita fit, ut qui, probitate deserta, homo esse deserit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam. Quod multò magis est prodigiosum, quàm si cicuratae belluæ vertantur quodammodo in homines, discantq; ire per extentum funem, quod de elephantis refertur, & de alijs bestijs alia, quæ alioqui non videntur, nisi ab humana prudentia provenire. Meritò igitur & ego, mutato stilo, dicere possum;

*Postquam ceperunt homines brutescere, verso
Ordine, ceperunt hominescere bruta vicissim.*

CAPVT LXII.

*Defectus monstrorum & naturæ, plerumque
aliunde compensari.*

Poterant huc vsque disputata satis placare imperitorum monstra carpentium querelas: & sufficit, malitiæ atque superbiæ fructum esse, quod impatientia non vult tolerare; immò audet in tam benigno Plasmatore, criminosis in iurijs accusare. Quid enim? si monstrum finit gigni, cui iniuriam facit? quid, si luscum, aut cæcum, aut manibus pedibus truncum hominem in lucem prodire ab utero matris suæ permittit? Dominus est vniuersæ naturæ. Quod vult, facit. Potuisset talem omnino non sinere nasci, aut concipi. Potuisset eum in Nihilo suo relinquere. Quidquid ei dedit, gratis dedit; & sæpe etiam ingrato. Quidquid negavit, pro potestate sua negavit. In summa tantum dedit, quantum dare voluit. Statuarius ex ingenio fingit simulachra, alia sine pedibus, & pectore tenus tantùm, alia integra. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Rom, 9, 21